



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

In Funere alicujus Nobilis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

In Funere cujusdam Nobilis.

CUM Absalon non fideret tantum suis filiis, ut ei post mortem erigerent monumentum, ipse illud erexit, dicendo. *Non habeo filium, sed hoc erit monumentum nominis mei, & vocavit illud nomine suo. Manus Absalon.* Melior multo Absalone N. defunctus meliores nactus filios, ab illis accepit monumentum in hoc templo, qui illud varie exornarunt, ut neque ego desim, aliquid apponam.

Addo huic monumento inprimis statuam virtutis Religionis, hæc virtus est Christiani, huic defunctus à pueritia studuit &c. Ecclesie benefecit &c. Addo secundo statuam fortitudinis, fortis fuit pro Ecclesia. Hugo Caperus Rex Gallorum, dum interrogaret Veremundum Leodientem Episcopum, in quo possit DEI Ecclesie servire, respondit, *sic præsitis ut præsitis*, quærit Rex ulterius Episcopum quomodo id faciendum? respondit Episcopus. *Et palmo & pugno.* Hoc est, liberalitate & defensione Ecclesie. DEUS benedixit Capeto, quia per annos sexcentos ejus nepotes in Gallia regnarunt. Hermus Bilius Princeps Corsicæ dicebat, *Ecclesia sum Hermus largiendo*, ut fluvius Hermus aurifer. *Et Bilius à bile, propugnando.* Pro antiqua Ecclesia ordinavit DEUS, primitias à quolibet homine, aurum, & argentum, & cuprum, hiacynthum & scarlacam, &c. Marmor, onychen ad exornandum Rationale, & ita profecit largitas populi, ut artifices tabernaculi. Oliab & Bezeel dixerint, non debere plura afferri & hoc ipsum proclamatum est per Præconem. Tempore Salomonis voluit DEUS templum sibi erigi in monte Sion, David illi paravit dotem in auro & argento, & Principes contribuerunt, &c. Quia non domus parabatur homini, sed DEO.

O 3

Quæ

Quæ dos Ecclesiam novam decet quam sibi Christus despon-
 savit? In omnibus bonis mundi contra dotem illi intercipit.
 Fam reddebant Constantinus, Alexius, Commenus, & alii
 Imperatores, similia fecit N. defunctus, videbis ejus beneficia
 ad ortum & occasum, &c. Si quis contradiceret, è parietibus
 responderent lapides de hac re mihi dicenti. *Bene dixisti ve-
 nerabilis Beda.* Sed hoc tempore opus est ut inveniat Booz
 qui jubeat Ruth colligere spicas post merentium terga, cum
 non habeant unde servi DEI vivant. *Jungere meis, ubi messu-
 erint sequere.* Talis Booz fuit defunctus N. *Ut Ruth absque ru-
 bore colligat, & colligentem nemo impediat.* Erigo defuncto sta-
 tuam Defensoris Ecclesie, invadunt bona illius Catholici &
 Hæretici. Discurrunt ut Sicilia Tyrannus Æsculapius, Da-
 pallium aureum Apollo, hyeme non calefacit, æstate onerat.
 Da arcum aureum Diana nunquam ex illo es jaculata, &c.
 Da pomum aureum Mercuri, si illud momorderis dentes la-
 des, date sacerdotes bona nec uxorem nec prolem habetis.
 Nabuchodonosorem converterunt in bestiam bona Ecclesie.
 Antiochum in pastum vermibus eadem dedere. Eadem car-
 bunculis impleverunt in capite Leonem quartum Constanti-
 rinop Imp. dum raperet quæ Heraclius Ecclesie S. Sophie de-
 dit. *Memoria Josie in compositione odoris facta opus pigmentarii,
 in omni ore quasi mel indulcorabitur memoria ejus, & ut musica in
 convivio vini.* Redolet memoria Defuncti, dulcis memoria,
 sonant illius opera ut musica. *Ut quid te misimus peregrinari
 lumen oculorum nostrorum, solatium vite nostræ, omnia simul in te
 uno habentes, non debuimus dimittere à nobis.* Discessisti à nobis,
 sed ita DEO placitum, hoc nobis sit solatio, quia in celo adifi-
 cavit ascensionem suam. Valedixit & valedicic omnibus in
 terra. Amiserunt devoti exemplar, fortes Heroem. Ubi est
 illa facies, illud robur? &c. Dalila, mors, omnibus Samlo-
 nem

nem spoliavit. Sol eclipsavit, Ambr. in funere Gratiani. *Quomodo ceciderunt Potentes, quomodo rapidiora fuerunt vita curricula quam ipsius Rhodani fluentia? O quam angusto sine vitam clausisti &c.*

In Funere alicujus Notarii.

CUM alii in Dignitate moriuntur, supra feretrum ponuntur eorum insignia, ut Marsalci, Ducis, Concellarii. *Aeneas Miseno tubicini tubam imposuit Aeneid. 6. Jonathæ Mach. 3. Super columnas arma in memoriam eternitatis.* In Notario neque penna neque liber ponitur. Sed est exemplum Tim. 4. *Paulus proximus mortis. Ego enim jam delibor & tempus resolutionis meae instat, &c. Affer tecum libros maxime autem membranas.* Cum libris ad caelum vadit, ita pennam & librum secum defert Notarius, & ita Ambr. Serm. 114. in Pl. 110, *Si dormias, exurgent tamen penna tua, sequentur te.* Descripsit se jam in caelo. *Isai 44. Et hic scribet manu sua Domino Septuaginta pro Domino legunt, DEI sum hoc Defunctus scripsit, sed quæramus prius quid hæc penna in terris fecit?*

Homo est avi similis, quæ jam in hoc, jam in illo loco confidet, tandem ad nidum redit, ita homo ad terram. Ita *Eccles. 1. Ego Salomon fui Rex in Jerusalem, cur, fui? utique adhuc vivebat? Hugo Victor. Fui jam non sum, qui a eisi sum, id ipsum jam nihil esse agnosco quod sum.* Greg. in 3. Reg. c. 2. *Multum quidem sæculi bona durant, si cum amatore usque ad extremum vite pervenient, qua finem transire non possunt.* Quia tandem. *Exibit spiritus ejus & revertetur in terram suam.* Hoc accidit Adamo *Gen. 3. Emisit eum Dominus de paradiso voluptatis, ut operaretur terram de qua sumptus est.* Hoc ipsum est. *Arvolabunt quasi aves ex Aegypto, & quasi columba de terra Assyriorum.*

rum, & colloabo eos in domibus suis. Volavit ad locum Ur, inde ad Haran ex Haran in Mambre, ex Mambre in Geraram, ex Gerara ad Bersabeam, ex Bersabea in Palæstinam, ex Palæstina in Hebron Chanaan, ex Hebron in Palæstinam, ex Palæstina in Bersabee, ex Bersabee in Mesopotoniam, ex Mesopotonia in Sichem, ex Sichem in Bethel, ex Bethel ad Chanaan, ex Chanaa in Ægyptum, ex Ægypto in desertum, tandem ad terram promissionis. Sed nec ibi perpetuò fuit. Peruenit in Babilonem, in Persiam, in Græciam, Romam. Hoc symbolum vitæ nostræ, cui adscribamus. Eccles. 1. *Generatio præterit, generatio advenit, de quo Hieron. Aliis morientibus nascuntur alii & quos videras non vides, & quos non videras incipis videre.* Pennæ in hac ave sunt variæ ut status hominum. Sed quid? Job. 37. *Ventus transiens fugabit ea, Dissipabit, ut tempus abit, ita & homo.* Greg. 33. Moral. 3. *Nulla intus firmitate solidantur, meri quippe calami intus sunt per futuitatem vacui, sed foris per speciem & ostentationem pulchri, homo ut penna, abripit pennam tempus ut aqua. Homo tamen conatur volare ut Icarus.* Ezech. 18. *Et facta est aquila altera grandis, magnis alis multisque plumis, succedunt proles.* Describitur hic Pharaon qui in succursum venit Sedecia. Ita Hieron. Cecidit ut avis Judea; hoc idem accidit aliis. Nam & regna sunt ut aves, Describitur regnum. Dan. 7. *Prima bestia quasi leona, & habebat alas aquila.* De hac Jer. 50. *Gloriosa in regnis & inclita, quid deinde?* Dan. 7. *Aspiciebam donec evulsa sunt ala ejus.* Reges Aves, Pyrrhus cum illum sui dicerent Aquilam, ut est apud Plut. *Aquila sum, vos mea ala estis.* Hæ pennæ attollunt. Penna est & Defunctus N & gloriosa citius regna sine gladio quam sine penna stare possunt, 1. Reg. 12. *Non est inventus ensis & lancea in manibus totius populi, qui erant cum Saule & Jonatha, tamen in hostibus. Versus erat gladius unicus usque*

ad proximum suum, & cedes magna nimis. Gladio valebant Philistæi, gladio perierunt Sauli. Gladius damno fuit. *Arripuit itaque Saul gladium, & irruit super eum, sed cum utebatur penna vincebat. Recensuit Saul populum qui inventi erant cum eo quasi sexcentos viros. Gladio periit Julius. Gladii usus sæpe, interdicebatur. Scribit Rodolphus Farerius lib. 3. rerum quotidian. c. 29. de Pompejo. Quos præmississet ipse gladiis eorum annuli signum imprescit ne quem in via læderent. Quia ut Cyrillus de Adorat. Insum est militari hominum generi, ut libentissimè sibi plus quàm aqutitas patitur, vendicet. Suada de sago & toga lib. 4. Simul Alexander magnus gladium & pennam portabat Sidon. Ducum antiquorum dextera solebat non minùs stylum tractare, quàm gladium. Quare ex Justinian. Novella 85. Per præsentem sancimus legem in nulla provincia aut civitate nostræ Reip. habere licentiam privatos, aut alium quempiam, arma facere aut vendere, aut quolibet mercari modo: sed solos eos qui inter fabricenses referuntur hæc instruere, & deferre ad sacrum nostrum armamentarium. At verò Patriæ Malach. 4. Sanitas in pennis ejus. Possunt Defuncti N. Posterii dicere de penna ejus, quod suo alato Leoni tenenti librum adscribunt Veneti. *Evangelista meus. DEI Majestas in pennis demonstratur. Ezech. Similitudo super capita animalium firmamenti quasi aspectus crystalli horribilis, & extenti super capita eorum desuper, sub firmamento autem penna eorum erecta, alterius ad alterum. Firmamentum est cælum, & sustentatur à pennis quæ sunt sub illo. De Arca ita præcipitur. Cherubim unus sit in latere uno, & alter in altero, utrumque lacus propitiatorii tegant, expandentes alas. Synagogam penna regit, Ecclesiam penna, Apoc. 6. Et quatuor animalia singula eorum habebant pennas senas. Aug. per hæc animalia intelligit Evangelistas. Defunctus calamo suo sustentabat jura, &c. Quare Græci libros vocarunt, vitam mortuorum.**

tuorum. Qua propter Synagoga soli Notario templi thesauros concredebatur & summo Pontifici 4. Reg. 18. *Ascendit Scriba Regis & Pontifex, effundebantque & numerabant pecuniam que inveniebatur in domo Domini.* Fuit præclarus Scriba Defunctus. Xenocrates discipulus Platonis ita salutavit Arcopagitas, *Avete homines, jam non homines, sed lapides.* Et projecit inter illos Lapidem sardachaten dicendo, *Arcopagite hic juri præferti estis, hominem exuistis, lapidem induistis.* Hic lapis dare dicitur audaciam, nebulas & ventos disjicere, somnum & pigritiam pellere; talis fuit Defunctus. In sepulchro Firmilini Judicis, ut scribit Marulus, crevit ejus statua saxea, inscript. *Stetit ut rupes.* Hoc Defuncto competit. 1. Paralip. 3. Cum Levitæ ferrent arcam, non sentiebant pondus, quia DEUS attemperabat. *Cumque adjuvisset DEUS Levitas qui portabant arcam Domini, juvabat N. ad pacem.* Gen. 49. *Vidit requiem quod esset bona, & supponit humerum ad portandum, dictum de Itachar.* Sed difficultates oriebantur. 4. Esdræ 11. *Vidi & de pennis ejus nascebantur contraria penna.* componebat N. omnia. 1. Cor. 15. *Abundantiùs omnibus laboravi, non ego, sed gratia DEI mecum.* Hoc fuit de penna Defuncti quod de Aquila. Esdræ. 1. c. *Surrexit aquila super ungues suos & misit vocem, pennis suis dicens, nolite simul omnes vigilare, dormite unusquisque in loco suo.* Clamabat, abbreviate processum juris at. N. sibi putabat dictum 2. Tim. 4. *Tu vero vigila, in omnibus labora.* Alii dormiant, sed non N. Plutarchus scribit de Deo Timotheo, quod pingeretur cum retibus, in quæ provinciæ & civitates incidebant. Sic ad Defunctum omnes currebant. Caroli Magni filius dicitur Arnulphus, id est, auxilium aquilæ. Ita N. Joan. 8. digito in terra scribebat. Sic & legem scripsit Exod. 4. Quia non reperiebat hominem per quem scriberet, Repertus N. scribebat pro Ecclesia, quia *adificavit domum*

num suam super petram, Matth. 7. Dormivit ut Jacob supra lapidem, Hieron. in Pl. 35. Sub capite ipsius lapis erat Christus. Fecit ut Daniel pro Susanna, pro fide, scripsit contra Hæreticos sicut contra Baltasarem. Quare DEUS Eccl. 10. Super faciem Scriba impones honorem suum.

Sed venit tempus ut etiam pennæ Defuncti indiceretur somnus. *Quiesce à laboribus tuis.* Paruit, sed alii feria in crastinum. 4. Reg. 4. *Habebat pacem ex omni parte in circuitu.* De quo Hugo Victor, lib. 3. de Claustro c. 9. *In circuitu pacem habet qui non turbatur memoria præteritorum debitorum, nec inquietatur desiderio futurorum, non frangitur adversis, non elevator prosperis.* Talis N. confessus, testamentum fecit, filiis benedixit. Ezech. 1. apud Cherubim. *Manus hominis sub pennis eorum.* Volant, sed manus sub pennis, evellit. Ita N. gaudebat de illo Patria &c. volabat. *O utinam ad cælum aspiceremus?* Bern. ferm. 1. de Sept. *Commoveatur intra me spiritus meus, suspirans nimirum ad patriam illam, in quo nec numerus est, nec mensura, nec pondus.* Præcepit DEUS ut Levita avium oblatarum, pennas servaret. *Et plumas projiciat prope altare ad orientalem plagam.* Ibi posita penna Defuncti, ad orientem gratiæ. Cùm altare consecratur quatuor in eo cruces ponuntur, quæ notant quatruplicem amorem, DEI, sui, proximi, inimicorum. Fuit in Defuncto hic amor, quare possumus de illo. Sap. 3. *Iustorum anime in manu DEI sunt, non tanget illos tormentum mortis.* Ambr. lib. 10. in Lucem de arundine quam posuerant mi iites in manu Christi, *Arundo quoque secundum Mattheum comprehenditur in manu ejus, ut humana fragilitas jam non sicut arundo moveatur à vento, sed eperibus Christi corroborata fundatur.* Arundine olim utebantur, & modo aliquæ Gentes utuntur loco pennæ. *Debilis est, sed in manu DEI fortis.* Habuit N. fidem, & DEUS dixit Osee, 2. *Sponsabo te mihi in fide.* Fuit castus,

Judic. 9. *Dixeruntque omnia ligna ad rhamnum veni & impera super nos.* S. Method lib 1. de Castit. per rhamnum intelligit castitatem, illi dicunt Angeli, impera super nos. Habuit amorem pauperum. Chrysol. *In regno celorum coram omnibus Angelis, in conventu resurgentium quod Abel passus sit, quod servatum mandatum Noë, quod Abraham fidem suscepit, quod Moyses legem tulit, quod Petrus super omnes Ecclesia ascendit, DEUS tacet; & clamabit quod comedit pauper.* Honoravit N. Parentes, domum bene rexit. Si DEUS illi palmae de qua in die palmarum ramos pro Christo cadebant, hoc dedit, ut cum omnes aliae arbores fuissent à Romanis vastatae, illa manserit integra, ut scribit Cyrill. Catech. 10. *Quid non dedit huic Defuncto? Aperit illi caeli portas, pacatè venit cum calamo. Recipe hanc aviculariam sub alas tuas Christe, qui ut gallina congregas pullos tuos.*

In Funere Mulieris Nobilis.

Minatus cuidam DEUS Isai. 22. *Mittet te Dominus quasi pilam in terram latam & spatiosam, ibi morieris.* Perit in gramine. Matth. 7. *Lata porta & spatiosa via est qua ducit ad perditionem.* Perit. 1. Cor. 15. *Omnes resurgemus sed non omnes immutabimur.* Imò Prov. 10. *Nomen impiorum putrescet.* Sed bonorum mors. *Jaçant pilam in camera.* Eccl. 12. *Revertatur pulvis in terram suam unde erat, & Spiritus redeat ad DEUM qui dedit illum.* Alliditur pila terræ. *In pulverem reverteris.* Sed Ps. 76. *Nunquid in aeternum projiciet DEUS?* Non peribit. 1. Cor. 15. *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione: seminatur in ignobilitate, surget in gloria, seminatur in infirmitate, surget in virtute: seminatur corpus animale, surget spirituale.* Corpus cadet, sed Prov. 10. *Memoria justi in laudibus.* Anima ibit ad caelum. Apoc. 14. *Ut requiescat à laboribus suis.* Talis ludus fuit cum